



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

3. Pipini Regis Diploma Dat. Moguntiæ, Anno XIV. Regni eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

quillitatis normam, Sanctæ Apostolicæ nostræ, cui auctore Deo deseruimus, Ecclesiæ Priuilegium concederemus, nosque piæ petitioni tuæ assensum accommodare curauimus, decernentes Apostolicæ authoritatis præcepto, ut congregatio Deo ibi religiosè seruiens, sicut per præcedentia à Regibus eidem Cœnobio concessum est, liberam deinceps habeant creandi inter se, quem secundum Deum elegerint, sibi Abbatem, nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium prædictum, nisi à te, aliove Abbate tuo successore vocatus, quicquam pro suo libitu ordinare vel temere exercere præsumat. Præterea Apostolicâ nostrâ authoritate omnimodis interdicimus, ne cui vñquam Ecclesiæ vel sedi, concambio aut aliquo ingenio subdatur, sed tali immunitate & libertate, quali regalia loca vtuntur, inoffensè & perpetualiter gaudeat. Ipse vero locus Monasterij sub Mundiburdio Regum vt permaneat, nullique vñquam personæ beneficiarius aut inuadendus pateat, sed ad tranquillitatem Monachorum ibi sub regula Sancti Benedicti Deo militantium quietus permaneat. Constituimus etiam, & hac paternâ dilectione tibi, tuisque successoribus concedimus, vt ad mysteria sacra in præcipuis festiuitatibus mitrâ, dalmaticâ, fandalijs utarîs, fraternitatem tuam commonentes, vt cum augmento honoris, augeatur etiam in te diuini virtus amoris. Prohibemus etiam, vt ex autoritate beati Petri, cuius vices, licet indigni in hac Apostolica sede fungimur, & funditus interdicimus, vt nullus Dux, nullus Comes, nulla prorsus persona Ecclesiastica, siue mundana, in possessione vel allodio Sancti Maximini montem siue rupem capere, vel munitionem aliquam in eis facere præsumat, nisi forte Abbas eiusdem Monasterij propter metum paganorum, vel propter incursiōnem malignorum hominum ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suosque interim muniat. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne qua cuiuslibet dignitatis persona, magnum vel minimum alienare vel imminuere de rebus Ecclesiæ præsumat, tam de his, quæ per te modo, vel per alios eidem Monasterio concessâ sunt, quam ex his, quæ cæteri fideles pro remedio animarum suarum collaturi sunt. Si quis verò, quod absit, ausu nefario præsumperit ea, quæ à nobis ad laudem Dei, pro stabilitate iam dicti Venerabilis Monasterij statuta sunt, infringere, aut in quodam violare: sciat se sub diuini iudicij testificatione per interuentum Beati Petri Apostoli anathematis vinculo inextricabiliter innodatum, & à regno alienandum, & cum diabolo & eius sequacibus atrocissimis peccatis concremandum. Qui vero pio intuitu, & respectu diuini timoris obseruator huius nostræ præceptionis Apostolicæ extiterit, æternâ benedictionis gratiam à Christo Domino consequi mercatur. Scriptum per manum Benedicti Scrinarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Ianuario Indictione XII.

3.

*Pipini Regis Diploma Dat. Moguntiae, Anno XIV.
Regni eius.*

Dominô & Saluatore nostro vitam æternam in Euangeliô promittente plena & integra fide sine dubio credimus nobis in futuro sæculo compensari, si stabilitatem & quietem Monasteriorum confirmamus, ac res

Ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentamus. Proinde Ego Pipinus gratia Dei Rex Francorum, omnibus Regibus in æternum futuris in hoc testamento denuntio, me habere sub potestate Regali quoddam Monasterium, vbi Sanctus Maximinus Dei Præsul est corpore sepultus, constructum videlicet in suburbio Treuiris, atque dedicatum in honore Sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Quod Monasterium cum thesauro, atque totâ Abbatia sub illius loci Abbatem semper constare præcipio, quia per antecedentia tempora à Regibus ita constitutum esse repertum tenco. Quapropter hunc præsentem Abbatem Vtilradum, & omnes Abbates post eum futuros, de eodem loco simul cum Monachis, & Abbatia sub Regum Mundiburdio in secula manere decerno: vt ab omni inquietudine expediti, Deo valeant seruire cum gaudio spiritali. Electionem quoque Abbatis supradictis Monachis concedo: vt habeant potestatem eligendi quemcunque, siue quocunque voluerint, eâ ratione, vt regulam cum sibi subiectis custodiat. Si quis autem, quod absit, hanc cartam infringere voluerit, vel eiusdem loci familie ullam molestiam in aliquâ re intulerit contra voluntatem Abbatis, iram Dei incurrat, ac Regiae Majestati reus omni tempore teneatur. Et vt hæc descriptio firma sit, annulo sigillate eam iussimus nostro. Adalolfus resignauit. Datum (quod fecit mensis Ianuarius) in publico Palatio Moguntiæ decimo quarto regni nostri Anno feliciter.



4.

*Caroli Magni Imperatoris Diploma Datum Paderbornæ,
Anno Regni eius XL.*

a quonodo
b Carolus
c ac

c albariam
+ constituta
d reperi

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Notum sit omnibus in Christum fideliter credentibus Regibus, Episcopis, Ducibus, quod ego Karolus gratia D[omi]ni Rex Francorum, Longobardorum, & Patrius Romanorum pro remedio animæ meæ atque stabilitate Regni nostri Sanctorum Monasteria sub meo regimine constituta taliter volo per successiones temporum manere illæsa, qualiter per Antecessoris mei Privilegia inueni esse firmata. Proinde quia Abbatiam S. Maximini in Privilegio mei genitoris Pipini sub ipsius Mundiburdio repperi, Ego quoque delibero testamentum facere, per quod ipse locus atque Monachi ibi conuersantes sub nostra defensione cum quiete

valeant